TESTIMONIA
E
Quibusdam Recentioribus collecta,
QUIBUS
Doctrina S. CAROLI BORROMÆI
DE
Remittendis & Retinendis
PECCATIS
A
Singularitatis Nota Vindicatur.

COLLECTORE
BARTHOLOMÆO PASMANS S. T. L.





MECHLINIÆ,
Typis GISBERTI LINTS,
M. DC. LXXV.

Cum Privilegio Regis.

INſit juſtè conſolans miſerico[illegible] & piè ſæviens diſciplina: ſicut in Arcâ Teſtamenti erat virga & manna; ſic in pectore Paſtoris rigor & dulcor. *S. Gregor.*

PRÆFATIO

BENIGNE LECTOR.

SI uspiam singularitatis notam suspectam esse oporteat, Theologicis & præsertim sacramentalibus illam infestissimam esse, nemo ignorat. Hinc factum credo, ut nonnulli doctrinam S. CAROLI de remittendis retinendisque peccatis *singularitatis labe, dum aliis argumentis convellere non sustinerent, adspergere conniterentur. Ast quàm id immeritò & absque fundamento, excerpta è recentioribus (veterum enim hanc fuisse doctrinam, nemo nisi ab illorum & canonum pœnitentialium lectione alienus negaverit) nonnulla dogmata ubertim testabuntur. Nonnulla, inquam, quis enim omnia congerere queat? sat equidem iis præstabitur, ut hæc*

S. Caroli *doctrina insolita, nova, & singularis non videatur. Sunt & alia plurium recentiorum hac in parte* S. Carolo *subscribentium testimonia apertissima, quæ alios quoque libellos seorsim adimpleturi sunt.*

Pauca in hisce necessariò observes velim; Lector: primò quidem, quod Testimoniorum singula non probent idem; alia namque docent interrogandos esse pœnitentes: alia absolutionem negari differrive & posse & debere testantur: quædam pœnitentialia ante absolutionem peragendas injungi posse perhibent: quædam etiam de instituendis ritè concionibus agunt: omnia perdifficilem & multorum opinione tardius peragi peccatoris conversionem arguunt; atque aliam (quam multorum hodie præ se fert agendi modus) veri pœnitentis ideam apertè exprimunt.

II. Deinde, si ex iis ipsis, è qui-

bus

bus ego hæc Testimonia, quispiam excerpserit & alia, quæ aut Reliquæ S. Caroli *doctrinæ, aut Theologiæ saniori videantur adversari; ego isthæc neque probanda hic, neque improbanda mihi sumsi: instituto quippè meo cumulatè fiet satis, modò illos hac in parte vel testes habuerim doctrinæ* S. Caroli, *ne aliquibus tam insolita videatur aut singularis.*

III. Præterea, congeret fortassis quispiam eundem in modum ex aliis scriptoribus, quod hisce opponat: quidquid id fuerit, intento meo nihil officiet, nedum evertet; præterquam enim, quod in Sacramentis nihil valeat humanæ opinationis authoritas, nullus mortalium inficiabitur, quin authores citandi isthuc docuerint, ac proinde doctrinam S. Caroli *singularitatis opprobrium evadere, dilucidè fidem faciant.*

IV. Postremò, nullus inter Re-

censitos hic servatus est ordo; neque Sanctitatis aut Religionis, neque dignitatis Antiquitatisve habita est ratio.

CENSURA.

IMprimatur datum Mechliniæ 21. Februarii 1675.

L. NEESEN, *Canonic: Theolog: Lib. Censor.*

CENSURA.

IMprimi poterit datum Bruxellis 28. Martii 1675.

J. ROUCOURT, *S.T.L. Libr. Censor.*

TESTIMONIUM,

Eximii P. CHRISTIANI LUPI Ordinis Eremitarum S Augustini S. T. Doct. & Prof. in Scholiis suis & notis ad Canones Concilii Nicæni.

Ex quo patet, quomodo censeat, diversos pænitentium gradus annis aliquot continuis olim præcessisse absolutionem Sacramentalem.

CANON XI. Concilii Nicæni.



E his, qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujusmodi (quod factum est sub tyrannide Licinii) placuit Synodo, quamvis humanitate prohibentur indigni; tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur; & sex annis omni se contritione dejiciant; duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.

Qua-

Quatuor olim fuerunt pœnitentium gradus, classes seu stationes: *fletus*, *auditio*, *substratio*, *consistentia*, quas eleganter describit in Epist. Canon. S. Gregorii Thaumaturgi Canon postremus, licet, ut eruditis videtur, adjectus & suppositus, antiquus tamen & venerandus.

Fletus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur.

Auditio est intra portam in Narthece, ubi oportet eum qui peccavit, stare usque ad catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censeatur.

Substratio autem est, ut intra portam templi stans cum catechumenis egrediatur.

Consistentia est, ut cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non egrediatur. Postremò est participatio Sacramentorum.

Eosdem gradus describit eodem fere modo Felix tertius Pontifex in Epistola ad universos Episcopos, meminitque S. Ambrosius in libris de Pœnitentia, hæc Domini verba de Lazaro, *ubi posuistis eum*, exponens: *In quo rerum statu est, quo pœnitentium ordine?*

Quidam existimant illos Novatiano

non

non antiquiores, utpote ab Ecclesia institutos adversum ejus errores, Existimo errare. Fateor non esse institutum Apostolicum, eorum tamen non tantummodo S. Cyprianus, sed & Tertullianus meminit tamquam rei vetustæ.

Exponitur Primus Pœnitentium gradus.

FLetus itaque primus gradus fiebat *extra portam oratorii* in Ecclesiæ porticu vestibulari, seu (uti in libro de pudicitia Tertullianus loquitur) foris extra Ecclesiam ad certum limitem à limine. Antiquas enim omnes Ecclesias Matrices habuisse vestibularem porticum, patet ex antiquis Romanis Basilicis Lateranensi, Vaticanâ novâ licet, ad formam tamen antiquæ exstructâ, S. Crucis, S. Mariæ Majoris & ad Martyres, plurimisque per Flandriam nostram, & omnem fermè Galliam Canonum olim observantissimam, Ecclesiis rusticorum.

...... Hic ergo *peccatorem stantem oportet orare ingredientes ut pro se precentur.* Distinctius Joannes Abbas de Raithu in Scholiis ad scalam Joannis Climaci Abbatis: *proci-*

dens cum fletu ab ingredientibus postulat orationem ante ipsorum pedes prostratus. Eleganter Tertullianus in lib. de Pœnit. *exomologesis*, qua ille voce omnem passim pœnitentialium stationum paratuam complectitur, *est prosternendi & humilificandi hominis disciplina conversationem injungens, misericordiæ illicem mandans sacco & cineri incubare, presbyteris advolui, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationem deprecationis suæ injungere* &c.

Et S. Ambros. in lib. de Pœnit. *volo, veniam reus speret. Petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus: & cum secundò & tertiò fuerit dilata ejus communio, credat remissius se supplicasse* &c.

.... Nempè fletum exigebat Ecclesia, non imponebat virtute divina clavium, neque ad Sacramentalis satisfactionis opus operatum elevabat .... hinc flentibus nullæ impendebantur impositiones manuum, nullæ expurgativæ preces, nulla divini nominis super ipsos solemnis invocatio, sine quibus Sacramenta Christiana non possunt confici nec opera nostra ad operis operati virtutem elevari.

Hunc gradum respiciunt hæc verba nostri Canonis; *quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt* .... & S. Gregor. Nazianz.

Agens

Agens adverſum Novatianenſes hujus Canonis calumniatores : *nec ipſe eos recipio, qui vel nullo modo vel non ſatis deprimuntur, nec patrato crimini parem vitæ emendationem afferunt.* Hoc eſt non ſatis fervidè adimplent. Hæc verba, *non recipio*, non tantum de communionis redditione, ſed & de admiſſione ad audientiam & ſubſtrationem intelligi poſſunt, atque ita clarè dicunt flentes necdum eſſe receptos ab Eccleſia, id eſt, fletum per claves non conſueviſſe imponi.

Porrò Canon flentibus nullum tempus præfigit more Latino. Quod enim eſſet ſpontanea humilitas, Sacramentalis ſatisfactionis expoſtulatrix & præparatrix, Patres noſtri Epiſcoporum arbitrio reliquerunt ex compunćto potius corde, quam tempore menſurandam. An vero Græci præfixere certum temporis limitem.

Exponitur ſecundus Gradus.

SEcundus Gradus eſt *auditio intra portam in narthece, qui oportet eum, ubi peccavit. ſtare uſque ad catechumenos, & illinc egredi ....* ab hac auditione hi noſtri pœnitentes vocabantur auditores...addit Greg. Thaumaturgus, aut certè illi adjećtus Canon: au-

diens inquit; *scripturas & doctrinam ejiciatur & oratione dignus non habeatur* .... ex quo liquere videtur Canonem esse adjectum .... loquuntur ambo nequaquam de præcatione Eucharistica, sed expurgatoria & expiativa. Quo circa etiam audientibus nulla imponebatur manus, nulla divini nominis super ipsos invocatio, ideoque & hanc stationem suspicer potestate clavium non consuesse imponi, fuisse non Sacramentalem sed dumtaxat secundum ad ipsam præparationis gradum.

Expleto audientiæ tempore nequibat audiens suo arbitrio migrare ad substratos, debebat denuò supplicare, examinari, ab Episcopo transferri, eodem modo transferri solitum à substratione ad consistentiam,&à consistentia ad perfectionem docent Cyprianus, & quintus Canon Ancyranus.

Exponitur tertius Gradus.

TErtius pœnitentium gradus est substratio, de qua noster Canon: *Sex annos omni se contritione dejiciant* ..., substratorum pœnitentia variis Ecclesiæ ritibus & precibus adjuvabatur, Deo commendabatur, ad operis operati virtutem elevabatur, eratque vere Sacramentalis.

Erat

Erat manus impoſitio ſubſtrati cinere, ſacco, infami raſurâ, cilicio comitatâ, quæ idcirco Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis, Sacræ Ordinationis manum impoſitam habentibus fieri non poterat, idque ex traditione Apoſtòlica, uti ſcribit S. Leo ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem .... hi ſunt ſubſtrati qui Euchariſticis Eccleſiæ orationibus, & conventui non poterant intereſſe.

Exponitur quartus Gradus.

Quartus Gradus eſt conſiſtentia, ut pœnitens *cum fidelibus conſiſtat & cum catechumenis non ejiciatur*, de qua Canon noſter: *duobus annis populo ſine oblatione in oratione communicent.* Utique in oratione Euchariſtica ſeu Sacrificio. Ad hunc gradum admiſſio erat omninò reconciliatio Sacramentalis. Neque enim ſolum corpus, ſed & mens per ipſum erigebatur à ſubſtrationis ſordibus, quod fieri non poteſt, niſi virtùte clavis Apoſtolicæ reconciliantis.

Conſiſtentes ergo communicabant Euchariſticis & perfectivis Eccleſiæ orationibus, verum ſine oblatione. Exponit hoc Theorianus *Sacramentorum* Euchariſtiæ videlicet, *perceptionem non impetrant*.....

 Panem

Panem & vinum sibi in Eucharistiam consecranda olim offerebat populus; de alieno participare erat illicitum ac sordidum: qui non offerebat, non sumebat, ideoque omnis ab oblatione suspensus, suspensus erat à sumptione. Hinc toties apud antiquos legimus, *ejus oblatio non recipiatur*. Hoc est, Sacrificio quidem adesse possit, verum de illo non percipere: & hoc est communicare solis orationibus.

Canon noster sistit in horum lapsorum consistentia, nihil penitus statuens de eorum perfectione seu admissione ad Sacro Sanctam Eucharistiam. Nempe supra illos humanitate indignos dixit, ideoque dignatur sola consistentiâ, quoad perfectionem volens servare rigorum antiquum. Secunda Synodus Arelatensis addidit hanc moderationem: *In potestate tamen vel arbitrio sit Episcopi, ut si eos ex animo deflere, & agere pœnitentiam viderit ad communionem pro Ecclesiastica humanitate suscipiat.*

Hunc aliosque id genus plurimos Canones antiquos respicit Sacrosancta Tridentina Synodus in decreto de satisfactionis necessitate. Debent *Sacerdotes Domini,*
Sess. 14. c. 8. *quantum spiritus & prudentia suggerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate saluta-*

res & convenientes satisfactiones injungere, nisi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Ejusmodi Sacerdotes Sanctus Cyprianus vocat pœnitentium deceptores, qui illos, ut magis pereant & amplius cadant, seducunt.

TESTIMONIUM,

Eminent.mi D. JAONNIS BONA, S. R. E. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyteri Cardinalis, Ord. Cisterciensis.

Censet vir Eminentissimus, quod Sacramentalis absolutio olim impensa demum fuerit sub finem quarti gradus, hoc est, sub finem consistentiæ.

Lib. I. rerum Liturgicarum cap. 17.



Uod spectat ad Sacramentalem absolutionem, an eam Episcopi seu sacerdotes sub finem consistentiæ, an in fine substrationis impertirentur, cum ab ea ad con- n.6.

sistentiam

ſiſtentiam tranſibant, diverſæ ſunt eruditorum ſententiæ, quas non eſt hujus loci examinare. Quod ſi ſpecialiter ſermo fit de conſuetudine Romanæ Eccleſiæ ex Sozomeno lib. 7. cap. 16. & ex Nicephoro lib. 12. cap. 28. manifeſtè colligitur dilatam Romæ abſolutionem uſque ad finem quarti gradus. De hac enim Eccleſia tractantes, pœnitentes commemorant, qui miſſæ intererant, nec tamen Euchariſtiæ participes erant: & eos aiunt peracta Miſſa in terram cum fletu quibus occurrens Pontifex ſimiliter corruiſſe cum Lacrymis collabebatur, & eos erigens pro illis orabat, ac deinde dimittebat. Illi vero privatim jejuniis & aliis pœnis ſe affligebant, ac poſtea elapſo tempore ab Epiſcopo conſtituto à peccatis abſolvebantur. Non ergo ſubſtratis, qui cum catechumenis exibant, ſed conſiſtentibus, qui uſque ad finem miſſæ manebant in Eccleſia, abſolutio dari ſolebat.

Eumdem morem ſervatum in Africa, ut intra miſſarum ſolemnia abſolverentur pœnitentes proximè ante Orationem Dominicam, non obſcurè docet Optatus Milevitanus lib. 2. *Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis, & delicta donatis mox ad altare*

tare conversi dominicam orationem prætermittere non potestis. Manuum autem impositio super substratos, quædam tantum oratio & benedictio erat, quam in terram procumbentes à sacerdotibus accipiebant &c.

TESTIMONIUM, CLERI GALLICANI,

In Conventu Anno 1655. Celebrato.



Præter illam, doctrinæ moralis pravitatem, quæ facile, nisi provideatur, Christianorum mentibus illabetur, non mediocri nos afficit dolore perniciosa quorumdam confessariorum in concedendâ promiscuè pœnitentibus absolutione facilitas, quam illi falsis pietatis coloribus prætexunt; quasi hoc modo illos à peccato paulatim averterent, & à desperatione ac religionis contemptu retraherent.

TESTIMONIUM,

S. THOMÆ A VILLANOVA,

Ord. Eremit, S. August. Archiepisc. Valentini ex Sermone habito fer. 6. post 4. Dominicam quadragesimæ.



Ud, inquit, *Ecclesiam hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio?* Sed exi foras non solum à delicto, sed etiam ab occasione & delinquendi proposito. Quidam ad modicum in quadragesima peccata deserunt, sed peccandi propositum numquam dimittunt: quidam cum peccatis etiam propositum peccandi reliquisse sibi videntur, sed occasiones delinquendi non fugiunt. Hi non suscitantur, quia non omnino foras exeunt. Angeli qui in Sodomorum subversionem destinati sunt à Deo, Loth dissimulantem extra civitatem & suburbium extrahentes comminati sunt, ne in omni circa regione permaneret, sed in monte salvum se faceret, typice per hoc designantes ut quis-

quis

10

uis divinam ultionem evadere procurat, xeat à peccato, exeat à peccati suburbio, d est, proposito, exeat à peccati regio- e, id est, peccandi occasione: neque post ergum aliquando respiciat, neque in umili conversatione, id est, sæculari ermaneat, sed virtutis culmen cum om- i celeritate conscendat. Cum Ninive ivitatis excidium per Prophetam Domi- ius comminaretur jejunaverunt incolæ, lanxerunt, vestiti sunt saccis, in cine- e sederunt, cum lachrymis clamave- unt. Sed, quid ait Scriptura? & vidit Deus opera eorum, quod conversi sunt le via sua mala & misertus est super ma- itiam, quam locutus fuerat, ut faceret is & non fecit. Non ait, vidit gemitus, ridit lachrymas vidit saccos, vidit cineres: ed quid vidit? opera eorum, quod con- rersi sunt à via sua mala. Si vitia non de- eruntur, frustra Dei misericordia lachry- mis imploratur: frustra enim oculus plorat, si animus in crimine perseverat. O peccator! si vere ploras, veni foras: fuge concupiscentiam, dimitte lasciviam, expelle mulierculam, solve catenam: alias non credo verbis, non credo lachry- mis funiculus triplex malæ inclinationis,

 pravæ-

pravæ consuetudinis, violentæ occasionis difficile rumpitur. Miraculum grande est, ut habens juxta se mulierem, non tangat eam: & utique qui tangit picem inquinabitur ab ea. In sinu tuo carbones foves, & tuum non comburetur vestimentum? etiamsi millies juraveris, etiamsi obtestando promiseris, numquam tibi credam. Illum autem, qui à Domino vivificatus desiderio salutis a vitiorum sepulchro foras egreditur, vos, ô sacerdotes, solvite & sinite abire. Cavete ne eum in sepulchro solvatis; prius exeat ut solvatur. Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, aut veritatem tuam in perditione? nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt & confitebuntur tibi? non suscitat à sepulchro medicus, sed Deus: sed quem suscitat Deus, hunc solvit medicus. prius ergo vadat, & concubinam à domo pellat peccuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat, famam proximi læsam, prout potest, resarciat, mercenariorum labores & pauperum debita solvat, offenso fratri reconcilietur & veniam petat, & tunc ad confessarium redeat & absolvatur. Hic rectus est ordo, hic

in

in Lazari suscitatione à Domino servatus est. Hunc ordinem ne transgrediaris. O medice, cur fœtentem solvis? cur indigno veniam promittis? cur, cui absolutionis beneficium exhibeas, non discernis? duas tibi claves Dominus dedit, unam discernendi, alteram judicandi; absolvendi scilicet & ligandi: & tu sine discretionis examine neminem ligas, omnes absolvis: una tantum clave, neque integra quidem uteris, sed dimidiata. Heu heu ventrem meum doleo, ventrem meum doleo: in domo Dei horrendum vidi, Pastores Domini sui oves jugulantes: medicos populi sui ægrotos occidentes: judices turpibus blandientes: censores flagitia palpantes: cæcos gregem Domini dirigentes. An non horrendum hoc? hi sunt Prophetæ mendaces, in quos Dominus per Prophetam invehitur dicens: ò quod deceperint populum meum dicentes pax, pax & non est pax: & ipse ædificabat parietem, ipsi autem liniebant ipsum luto absque paleis. Et infra. væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: cum caperent animas populi mei vivificabant

ficabant animas eorum, & violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Et per alium Prophetam apertius. A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student. A Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum: & curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: pax, pax, & non erat pax, confusi sunt, quia abominationem fecerunt, quin potius confessione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. O miseri animarum non curatores, sed interfectores, non consultores, sed deceptores, quid respondebitis Domino pro grege, quem vestris blanditiis decepistis? vestris consiliis jugulastis? quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio? deliniens, demulcensque assentatio? væ miseris, non ægritudinem sed contritionem, ac confessionem peccatorum curant quam augere debuissent, promittentes pacem quibus non est pax, & veniam quibus æterna damnatio parata est. Parvum

est (inquiunt) nimirum humanum est peccare: quis est homo, qui non peccat? facilis est venia: ne tristeris, ne doleas: confessus es, absolutus es, sufficit tibi ad salutem: vive lætus, Domini Sacramenta suscepisti, sine dubio salvaberis. Sic animas mortuas & securas à suis pedibus mittunt, tanto miseriores, quanto miseriores vulnera liniunt, vermem conscientiæ extinguunt stimulumpeccati auferunt, & securos peccatores ad inferna demittunt, qui si timorem populo incuterent, forsitan illum à viciis revocassent. Cui comparabimus adulatores istos, aut cui assimilabimus eos? similes sunt profecto hominibus qui à ripa pereuntibus in flumine manum porrigunt, & violentia fluminis ipsi cumaliis demerguntur. Unde aptissime sequitur inPropheta. Quam ob rem cadent inter ruentes in tempore visitationis suæ. Corruent dicit Dominus pondere namque peccatorum assentatores suos post se peccatores in præcipitia rapiunt, ecum eos in inferna deducunt. Hæc conra quosdam confessarios nostri temporis ie impios & impie pios dicta sunt qui e confitentem aliquantisper contristent, lum in sua nequitia manere permittunt.

At

At quanto melius esset ad modicum contristare, quam in æternum damnare. Apostolum audiamus qui ad Corinth. sic ait: etsi contristavi vos in Epistola, non me pœnitet, nam etsi ad horam Epistola illa vos contristavit, nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Hæc omnia bona tristitia quæ secundum Deum est, operatur in homine.

13

TESTIMONIUM,

. P. JOANNIS DE LUGO,

Societate *Jesu* in Collegio Romano ejusdem Societ. Theol. Professoris & S. R. E. Cardin.

'e virtute & Sacramento pœnitentiæ Editionis Lugdunensis A.o 1644. c um Approbationibus consuetis.

ocet absolutionem quandoque differendam pœnitentibus etiam verè conversis: deinde ipsos esse examinandos de consuetudine, ac peccatis, quæ ultrò non confitentur; tenerique pœnitentes super his respondere.

)isp. 14 de Sacram. Pœnitentiæ Sect. 10. An & quomodo neganda sit absolutio d. fectu propositi.

REstat nunc, ut dicamus aliquid de ultimo puncto seu ultimo capite cognoscendi defectum propositi efficacis, nempe ex quenti reincidentia in eadem peccata st multas confessiones absque ulla endatione. 166

D ....

..... Secundò certum est, quando sacerdos attentâ consuetudine præteritâ, & propensione aliisque circumstantiis judicat, pœnitentem non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere, quantumcumque pœnitens dicat, se dolere; quia si sacerdos id non credit, non habet judicium requisitum ad conferendam absolutionem.

Tertiò, ad judicium ferendum de dispositione præsenti deservit si peculiaria signa doloris ostendit, item si eam adhibuit curam &c.

Denique aliquando utile erit differre absolutionem per aliquot dies, ut appareat correctio & observatio propositi. In hoc conveniunt authores communiter &c.

Dubium est primò, an aliquando cum
167. confessarius posset credere probabiliter pœnitenti dicenti se hic & nunc habere dolorem & propositum, possit tamen ad melius probandum & confirmandum illud propositum differre absolutionem per aliquot dies. Secundò: an ipse pœnitens interrogatus à Confessario de consuetudine præteritâ, teneatur respondere & dicere se in aliis confessionibus hoc ipsum pec-

:ccatum sæpius confessum esse, & nul-
m emendationem postea securam esse.

Utramque partem docent communi- 168
r Theologi .... & quidem in hoc etiam
ncto aliqua certa sunt, in quibus om-
:s conveniunt.

Primò, posse ex consensu pœnitentis
fferri absolutionem; volenti enim non
injuria, atque adeò optimè facturum
nfessarium, si pœnitentem suaviter al-
:iat ad consentiendum.

Secundò, certum est, quando dilatio,
dicebam, necessaria est ad exploran-
m firmum propositum pœnitentis, de
io non satis constat, posse & debere
fferri absolutionem.

Tertiò, non posse licitè differri absolu-
nem, quando pœnitens est sufficienter
positus & ex dilatione timetur dam-
m potius spirituale, quam speretur uti-
as pœnitentis ....

Quartò, denique certum est, non de-
re absolutionem differri absque aliqua
ta & rationabili causa, quæ prudenter
tet esse differendam.

Difficultas ergo esse potest, an possit
e causâ rationabilis aliquando ad diffe-
ndam absolutionem absque consensu

pœnitentis, licet ipse aliunde credatur probabiliter esse nunc dispositus.

169 In quo procul dubio videtur vera communis sententia affirmans, cujus ratio desumitur ex fundamento contrario; nam licet pœnitens legitimè dispositus, confessione facta, habeat jus ad sententiam, & ad absolutionem; non tamen habet jus ad hoc, ut statim proferatur sententia, potest enim judex arbitrari, quomodo & quando debeat utilius proferri sententia.

Similiter ergo quando merito timet pœnitentem nunc absolutum facile relapsurum statim in eadem crimina, nisi ipsâ difficultate & dilatione absolutionis territus, agnoscat melius gravitatem peccati & necessitatem emendationis, poterit differre absolutionem, ut pœnitens utiliter admonitus non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum alias certissime subiret.

170 Confirmatur ex communi doctrinâ Theologorum, qui dicunt posse confessarium aliquandò obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ante absolutionem; quod licet non possit facere per modum vindictæ & punitionis; potest saltem

tem facere per modum medicinæ, quan-) judicat id esse necessarium vel utile enitenti, ex eò quod soleat facile omit- re posteà pœnitentias sibi impositas, vel confessarius certus sit de pœnitenti à pletâ, vel ob alios fines.

Imo apud Græcos sic solitum fieri, ut mo ante expletam pœnitentiam absol- retur, dicit Palatius in 4. dist. 15. æst. 1. ex Nicephoro lib. 11. cap. 26. od cum publicis peccatoribus olim ser- tum fuisse colligitur ex Catechismo ii V. de Sacrament: Pœnitentiæ n. 68. quâ doctrinâ habemus posse confessa- m differre absolutionem, quando id ile judicat, per aliquod tempus; quod rtè requiritur, ut pœnitentia impleatur ... non ergo est contra jus pœnitentis, absolutio in ejus utilitatem per aliquod mpus differatur,

Ratio autem à priori est, quia confes- ius non solum est judex, ut dixi, sed iam medicus, unde sicut in pœniten- imponenda ita exercet officium judi- punientis, ut debeat simul exercere ficium medici curantis, atque adeò pro- rare, quod impositio pœnitentiæ sit utilitatem & medicinam pœnitentis 171

quo reddatur magis cautus & fortis contra tentationes; sic in proferenda absolutione, licet principaliter exerceat munus judicis absolventis pœnitentem dispositum debet tamen simul procurare, ut medicus, in ipsa absolutione curationem pœnitentis, eo videlicet modo absolvendo, qui magis cedat in utilitatem & remedium ægroti: ad utrumque enim habet jus confessarius, nec potest prohiberi à pœnitente, quod in ipsa absolutione exerceat officium medici, sicut nec potest ab eo prohiberi, quod in impositione pœnitentiæ non sit merus judex, sed etiam exerceat officium medici.

Cum ergo Confessarius judicat expedire dilationem absolutionis ad hoc ut pœnitens reddatur magis cautus, & confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facile postea relabatur, potest certè & debet aliquando ut medicus hoc remedium pœnitenti adhibere, nec potest ægrotus rationabiliter conqueri adversus medicum, cui se in hoc Sacramento curandum tradidit: neque in hoc debemus recedere à sententia communi, cui adstipulatur experientia multorum pœnitentium debilium, qui hoc remedio adhibi-

brevi tempore solent curari, & pro
ieris potissimum videtur magis necessa-
um, qui hoc modo melius concipiunt
ecessitatem perseverantiæ in proposito
on peccandi.

Sed multò magis, displicet .... quod 172
ilicet, pœnitens interrogatus à confes-
rio de consuetudine præteritâ non debe-
respondere, sed possit eam occultare,
cum aliqua æquivocatione negare. Hoc
quam, est contra omnes Theologos,
ntra praxim ecclesiæ, & contra finem
ijus Sacramenti ......

Ratio autem est eadem, quia scilicet con- 173
flarius, cum sit judex & medicus, habet
s ad interroganda illa, quorum notitia
cessaria est ad utilem correctionem vel
enitentiam imponendam; quare sicut di-
rsam pœnitentiam debet imponere pro
rto centum milliū aureorum, quam pro
rto unius aurei, & ideo potest illam cir-
mstantiam interrogare, sic multò magis
ortet cognoscere statum pœnitentis in
dine ad consuetudinem præteritam, ut
at quænam medicina sit illi hic &. nunc
plicanda, & an indigeat dilatione ab-
lutionis, ut hoc tandem modo curetur.

Nec hoc est cogere pœnitentem ad
confitenda

confitenda bis eadem peccata, nam in hac secunda confessione non dat pro materiâ confessionis consuetudinem præteritam, nec de illa se accusat, sed explicat illam indirectè ad declarandum statum suum & indigentiam præsentem, quâ ratione non est novum obligari aliquandò pœnitentem ad declarandum iterum peccata, de quibus anteà confessus fuerat.

Disp. 22. sect. 2. num. 16.

n.16 DIfficultas est an confessarius obligationem habeat interrogandi pœnitentem circa alia peccata quæ non dicit; an vero possit contentus esse iis, quæ dicit ex se non quærendo de aliis ......,

17 Imprimis conveniunt omnes, quod quando omissio alicujus peccati provenit ex defectu diligentis examinis, debet confessarius illud in memoriam reducere, sive negligentia illius examinis fuerit culpabilis; sive etiam inculpabilis, & orta ex ignorantia & tarditate pœnitentis qui non scit melius se examinare, prout oporteret.....

18 Ex quibus probari potest, debere etiam confessarium interrogare eum, qui diligenter se examinavit, si peccatum obli-

tus

s illud prætermittit: quia si non esset
terrogandus, qui satisfecit obligationi
ligenter examinandi suam conscientiam
:que etiam esset interrogandus rusticus,
ui multa omittit ob ruditatem & igno-
ntiam, nam hic etiam diligenter se exa-
inavit: quod autem peccata taceantur
opter oblivionem vel propter ignoran-
am, parum refert, cùm in jure oblivio
: ignorantia inculpabiles semper æqui-
irentur, & cum illa ignorantia potuit
are diligens examen juxta capacitatem
am: & tamen omnes fatentur rusticum
terrogandum, ergo & ille alius inter-
gandus erit, cum eadem sit ratio de
roque.....

Ratio autem à priori desumni videtur 19
: officio Confessarii, qui judex est pro-
rens sententiam non solum circa illa
ccata quæ audit, sed circa personam,
iam, dum Sacramentaliter absolvit, ju-
cat illam debere reconciliari cum Deo,
quantum est ex se reconciliat. Ad hoc
tem oportet, quod cognoscat plenè
tum statum conscientiæ pœnitentis, ad
lendum an sit aliquid, quod obstet
isinodi reconciliationi. Quare quoties
let, non plenè manifestari ab ipso pœ-

E nitente

nitente, debet ille ex officio inquirere; alioquin si non haberet obligationem inquirendi & interrogandi, non solum non deberet, sed nec posset interrogare de aliis peccatis, sed solum deberet proferre sententiam juxta ea, quæ audit, nihil aliud interrogando. Certum est autem posse confessarium, quia judex est, interrogare, imò debet id facere, ut constat cap. *omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* ubi dicitur, *sit sacerdos discretus & cautus more periti medici, diligenter inquirens peccatorum circumstantias &c.* Et potest non solum circa illa peccata, sed de aliis interrogare, ut plenè informetur, antequam proferat plenam absolutionem personæ, ergo debet ita facere quia judicium prudens semper prærequirit plenam informationem & examen testium circa ea, quæ pertinent ad sententiam proferendam.

§. 1. Infero secundò, quid dicendum sit de n.37 obligatione, quam habent Confessarii Prælatorum principum, gubernatorum & similium, quando vident aut sciunt ipsos non satisfacere revera suo debito circa collationem beneficiorum electionem ministrorum, subditorum gubernationem,

circa

circa eleëmosynas & alia similia. .....Quare regulariter confessarius tenetur ad monere pœnitentem, quicumque ille sit, de sua obligatione; nec satisfacit suo muneri absolvendo à peccatis, quæ pœnitens dicit; sed potius imponit suis humeris peccata cætera & errores, quos in pœnitente dissimulat, & cœco cœcum ducente, ambo in æternam foveam cadent.

Si formidat ergo potentis faciem, non assumat sibi Pastoris officium, sed modestè se excuset, tamquam minus aptus ad illud onus portandum. Hæc autem dicta sunt de confessario, qui scit pœnitentem non satisfacere reverâ suo debito: si autem hoc non scit; sed habet rationem dubitandi, interroget pœnitentem, qualiter se gerat in his &c.

DECRETUM,

Illustrissimi atque Eminentissimi Domini GRIMALDII, S. R. E. Cardinalis & Archi-Episcopi Aquensis.

Casus Ordinarii quibus Confessarii debent negare, aut differre absolutionem.

Quorum retinueritis peccata retenta sunt. Joann. 20. vers. 23.

3 I (Pœnitens) quampiam inimicitiam gerit, & ex animo non ignoscit, suâque ex parte detractat facere quod oportet, ut cum inimicis in gratiam redeat.

4 Quando pœnitens est in proxima peccati mortalis occasione, si queat illam deserere, absolvendus non est, donec eam deseruerit: sin autem deserere nequeat, suspendenda est absolutio, donec sint emendationis signa & argumentum credendi, quod imposterum a lapsu in peccatum sese abstinebit, secundum salutares, quas confessarius illi præscribet medelas.

5 Neque impertienda est absolutio iis,

qui

ii peccandi occasionem aliis præbent
si eam tollant, medeanturque, quan-
m ab ipsis dependet, malo, cui locum
derunt. Hujusmodi sunt:

1. Illi qui tenent Congregationes (*As-
iblée*) in quibus impia perpetrantur,
asphemiæ, excessus, nimiæ libertates
: alia crimina.

2. Illi, qui habent picturas & effigies
:ivas, quæque ad peccatum inducere
:unt; item & illi, qui eas conficiunt
divendunt.

3. Illi qui componunt, imprimunt
divendunt pravos libros, aut scripta,
: continent quæpiam contra fidem, aut
udica contra probos mores.

4. Mulieres item & filiæ, quæ pe-
e nudato incedunt, dum sufficienter
itæ fuerunt de malitia, quæ in im-
lesto illo se vestiendi modo comperi-
nihilo magis danda est illis S. Sy-
s dum ad eam ita accedunt.

li qui artem aliquam profitentur aut 6
cium, quæ exercere sine offensa Dei
moraliter impossibile esse experien-
locentur, nisi promittant deserere.

ifferenda est absolutio iis, qui sunt 7
:ati consuetudini cujusdam peccati

 morta-

ere licet in libris constitutionum dioe-
is Aquensis.
*Si autem cogitas, quia totâ die contrarium à
liis confessariis fieri videmus. Respondeo tantò
is. Et qui hos canones non servant gravissimè
ant.* S. Bonaventura in Confessionali
. 4. de usu clau. partic. 1. *Tunc enim
a est absolutio præsidentis, cum æterni arbi-
m sequitur judicis.*
S. Greg. homil. 26. in Evang.

---

onstitutiones & Instructiones SYNODALES, FRANCISCI SALESII, piscopi & Principis Gevevensis n Ordinem digestæ & auctæ per successorem ejusdem.

TIT. IX. CAP. V.

absolutione, & quando differenda sit & neganda?



Erum, sicut probus usus, quo, 2
confessarius utitur eâ, quam
habet, absolvendi facultate,
vigorem pœnitentiæ sustentat,
ahit peccatorem servitute, & ædificat
ecclesiam

ecclesiam, quæ clavium regni cœlorum fidelis est depositaria: ita nihil quoque reperire est, quod illam majori contemneret probro, & tantopere enervet illius disciplinam, quodque peccatorem iniquitatibus suis atque abominationibus æque faciat indormiscere, quam absolutionis abusus, quem admittunt sacerdotes illam impertiendo pedissequi & mancipii adinstar, magis quam judicis, remisso flagitiosoque complacendi animo, atque imprudenter ante serium examen, num dignus sit pœnitens, illam præcipitando.

Hi sunt palpones ii & incircumspecti, quos S. Cyprianus inquit invehere in ecclesiam lenem crudelitatem, pietatis & misericordiæ nomine larvatam. Ejusmodi absolutionem compellat irritam & falsam, pacem dantibus perniciosam, & accipientibus nihil profuturam: quia eam impendendo operiuntur duntaxat morientium vulnera, pro eo quod vera medicamina illorum malis forent applicanda, & ægrotis mors pro valetudine infertur.

3 Eapropter ut hi abusus tollantur, confessarii different absolutionem illis, quos hâc gratiâ indignos judicabunt. Cujusmodi

iodi sunt ..... qui vitam immutare re-
uunt: qui rancorem, quo adversus pro-
imum laborant, nondum decoxerunt:
ui admoniti in confessione, ut præcipua
idei mysteria aliaque saluti necessaria ad-
iscerent; præ socordia intermiserunt:
qui dum sunt solvendo, obliganturque,
ona alterius non restituerunt: qui proxi-
nam peccati mortalis occasionem, dum
bsque scandalo fieri potest & periculo,
ctu non deseruerunt: qui vitiosis habiti-
ous, puta blasphemiæ, luxuriæ &c. era-
licandis, omnes nervos non intenderunt
n confessione alias commoniti & corre-
oti: qui publicum proximo scandalum
lederunt; dum neque illud sustulerunt,
ieque pro eo satisfactum est .... legi po-
erunt plures casus, quibus pœnitentem
dimittere oportet, in instructionibus S.
Caroli &c.

Quandoquidem complures confessarii 4
sese faciles exhibeant, ut impendant abso-
utionem ad eam, quam faciunt pœnitentes
pollicitationem se emendandi, occasionem
proximam deserendi, &c. diligens exa-
men instituendum est, an idem in ante
actis confessionibus jam tum promiserint:
si quidem id polliciti fuerint, neç tamen
 stete-

ſteterint verbo, non eſt, quod Confeſſarius fidem habeat, ſed abſolutionem differat, donec ſint ab occaſione ſejuncti, & quidem donec aliquo tempore illam non repetentes vixerint.

6 Ne quiſpiam offendiculum ſumat, quod negetur abſolutio aut differatur, recitabitur *miſereatur* capite cooperto, aliæque preces, ſic quidem ut pœnitenti ſignificetur, quod non ſit abſolutus, attemperabiturque abſolutionis negatio, ipſi monſtrando peccati ſui enormitatem, dicendo quod eo pacto otium detur expendendi offenſas ſuas contra Deum admiſſas, faciendique aliquam pœnitentiam ad veram pœnitudinem obtinendam: quodque non deſint rationes dubitandi, an verè peccatum deſerere decernat, cum poſt tot promiſſa non fecerit.

TE-

TESTIMONIUM,

R.P F.LUDOVICI GRANATENSIS Ord. S. Dominici, S. Theologiæ Piofessoris.

EX QUO PATENT,

Converſionis difficultas, Chriſtianè viventium paucitas, quidam concionatorum defectus, & neceſſitas vitandi occaſiones peccati.

Lib. 1. ducis Peccatorum 3. parte.

IN QUA,

Reſpondetur ad omnes excuſationes, quibus homines ſe tueri ſolent qui virtutem nolunt amplecti.



NAſcitur itaque illa (difficultas converſionis) non ex impedimentis & occupationibus, quas illi imaginantur: ſed ex malo habitu & corruptelâ perverſæ conſuetudinis vitæ nequiter ante actæ, quam mutare, mors quædam eſſe videtur, ut dici ſolet. 1

Proficiſcitur etiam hæc difficultas à potentia dæmonis, qui peculiare quod- 2

dam imperium habet in anima peccato mortali obnoxia. .....

Nascitur etiam ex eo, quod Deus procul abest ab anima turpitudine peccati immundâ. ....

Procedit denique hæc difficultas de corruptione potentiarum animæ nostræ, quæ graviter perturbantur, & corrumpuntur per peccatum, licet non in se ipsis, in suis tamen operationibus & effectibus. .....

Idem Salvator noster ostendit in resuscitatione Lazari quatriduani, quem tanto clamore & fremitu Spiritûs excitavit; cum tamen alios mortuos multò levioribus difficultatis signis excitasset: ut significaret Dominus, quam ingens miraculum sit Deum quatriduanum & fœtentem resuscitare: hoc est, in consuetudine peccandi sepultum convertere.

CAP. XXVI.

Quod si mihi objicias pœnitentiam Ninivitarum, quæ ex timore, ne quadraginta dierum spatio perirent omnes, processit; considera tu non tantum asperrimam pœnitentiam, quam illi subierunt, sed & vitæ mutationem. Muta tu quoque

vitam

vitam tuam eodem modo, & non destituet te eademmisericordia. Cæterum video te vix ab infirmitate convaluisse, & vix electo surrexisse, cum statim ad primum vitæ genus recurris, & revocas omne id, quod quamdiu infirmabaris, proposueras. Quare tibi considerandum relinquo, quid de tua pœnitentia censeam.

CAP. XXVII.

DIc mihi, quæso, quis te argumentari docuit, ut ex eò quod Deus bonus est, concludas licere tibi peccare, & iniquitatem sequi? videtur mihi Spiritus Sanctus alio modo concludere: ut nimirum ex eò, quod Deus bonus est, colligat eum dignum esse, qui colatur, cui obediatur, qui ametur super omnia.....

Cæterum partem eam, quæ Christianorum nomine celebris est, intuere & vide, quo loco res Christianorum hoc exulceratissimo nostro sæculo sint constitutæ, & fateberis in hoc corpore mystico à planta pedis ad verticem capitis vix aliquod membrum sanum reperiri. Cape quamcumque vis ex civitatibus celebrioribus, in quibus saltem aliqua doctrinæ exstent adhuc vestigia: discurre postea per mi-

nora

nora oppida, pagos, vicos & caſtella, in quibus vix reperitur memoria, & invenies populos, de quibus verè affirmari poteſt illud Jeremiæ: *Circuite vias Jeruſalem, & aſpicite & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem*: id eſt vere juſtum, *& propitius ero ei.* Perambula porro non dico tabernas & loca publica (ea enim ferè mendaciis, nugis & impoſturis ſunt dedicata) ſed domos vicinorum attende & auſculta, uti Hieremias, & cognoſces neminem eſſe, qui quod bonum eſt loquitur, nec quicquam præter murmura, mendacia, execrationes, juramenta & blaſphemias audies: hîc reſonant lites & contentiones, illic minæ & calumniæ. *Nullus eſt qui agit pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci?* re dénique ipſa experiere corda & linguas hominum nullis aliis rebus vacare, quam terrenis & propriis commodis: nec audies amplius Deum in ſuis operibus appellari, ſed in juramentis & execrationibus ejus nomen blaſphemari: quam ſui nominis memoriam Deus conqueritur apud eumdem Prophetam dicens: *Recordantur mei, ſed non ut oportet, jurantes mendaciter in nomine meo.*

meo. Ita ut per notas exteriores vix sciri queat, an populus hic Christianus sit, an verò gentilis, nisi fortè per modum, quo campanas cognoscimus, quæ quidem videntur à longè sed ex sonitu cognoscuntur: sic eos ex juramentis & blasphemiis cognoscas quæ è vicino audiuntur: cætera sciri aut indicari non possunt. Sed quæso, quomodo possunt tales annumerari his de quibus dicit Isaias: *qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus?* Quod si vita Christianorum talis esse debeat, ut, qui illos eminus viderint, judicent filios esse Dei, quo loco habendi sunt illi, qui potius videntur esse derisores, impostores, & contemptores Christi, quam veri Christiani......

Optima spes est, si peccata fugias & Deum invoces: sin autem in peccatis tuis perseveres, non est illud sperare sed præsumere: non est hoc sperare misericordiam, sed est rem indignam illa facere atque illam offendere. Quemadmodum enim ecclesia nihil prodest illis, qui exeunt ab illa, ut male faciant, sic etiam æquum est, ut misericordiâ Dei non prosit his, qui in peccatis perseverant. Illud ante omnia divini verbi dispensatores considerare

considerare deberent qui sæpe non animadvertentes apud quos conciones habent malis præbent occasionem in peccatis perseverandi. Respicere deberent, quod sicut corpus infirmum seu ægrotum, quo plus comedit, hoc majus accipit detrimentum, ita etiam anima in peccatis obdurata, quo plus illo genere fiduciæ lactatur, eo amplius induratur, & movetur ad perseverandum in peccatis. Coronidis loco insignis sit illa D. Augustini sententia: sperando & desperando pereunt homines. Sperando malè in vita, desperando pejus in morte. Desine itaque mi Frater, & derelinque spem illam præsumptuosam: recordare, quia Dominus ut misericors, ita quoque justus est: quemadmodum itaque ad misericordiam respicis ut speres, ita quoque ad justitiam respice, ut metuas.

Lib. primo memorialis vitæ Christianæ. De 1. parte Pœnitentiæ, quæ est contritio & de mediis quibus ad illam pervenitur.

OCcasiones vitandæ. Sic qui negotium aliquod habent inhonestum aut turpe propositum aut illicitam affectionem, debent sese ab hac pestilentia liberare, si gratia

gratia hujus Sacramenti cupiant gaudere. Nec sufficit cor & voluntatem à peccato separare, nisi etiam tollantur occasiones: alioquin peccata difficulter tolluntur. Qua in re decipiuntur multi, qui intentionem & propositum suum justificantes, putant sese extra periculum esse, etiam in mediis peccandi occasionibus, & ignorant quia in ædibus reservatur semen peccatorum, quod suo tempore germinabit. Hanc ob causam dicit S. Bernardus: quotidie conversari vis &c. *S. Ber. Serm. 65. in cant.*

Propterea necesse est occasiones peccandi omnes tolli, præsertim cum velum pudoris aut verecundiæ laceratum & ablatum, viaque ad vitia semel est aperta: patente namque portâ (moraliter loquendo) impossibile est malum ulterius non procedere. Quod si mihi dixeris, difficile tibi esse occasionem fugere, si enim hoc faceres, debere te ædibus tuis excludere hanc aut aliam personam, cui obligatus es, aut quæ tibi utilis est vel necessaria. Huic objectioni quod respondeam, aliud non habeo, quam illud Salvatoris: si pes tuus vel manus tua scandalizat te, abscinde eam & projice abs te; melius est enim debilem vel claudum ad vi-

tam ingredi, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in gehennam.

TESTIMONIUM,

R. P. CORNELII à LAPIDE è Soc. *Jesu* in Epist. S. Jacobi. edit. Antuerp. Anno 1627. cum Approbationibus & Privileg.

Ad cap. 2. vers. 13. ***Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia judicium.***

Ostenditur salvandorum paucitas veræ conversionis difficultas: & quid concionandum.



Lures ex Christianis adultis damnari, quam salvari, suadere videtur ratio & authoritas.

Ratio 1. Ratio 1. quia longè plures fuere damnati tam in statu legis naturæ, utpote in quo omnes perierunt per diluvium, ex quo solus Noë justus cum suis filiis eorumque uxoribus evasit: quam in statu legis moysaicæ, utpote in quo omnes egressi

egreſſi ex Ægypto, puta ſex centa hominum millia, & amplius, ob murmur & peccata perierunt in deſerto, tantumque duo, puta *Joſue* & *Caleb*, ingreſſi ſunt terram promiſſam: filii autem pereuntium, qui ingreſſi ſunt eandem, non fuerunt meliores parentibus: multi etiam Chriſtiani iis non ſunt meliores.

Secunda. Quia longè major pars Chri- 2
ſtianorum vivit in ſtatu peccati mortalis: juxta regulam autem S. Auguſt. ſicut quis vixit, ita & moritur; ut raro, qui malè vixit, bene moriatur, & vice versâ. Dices, omnes ſuſcipiunt S. Sacramenta in fine vitæ. Reſp. non omnes: nam multi in præliis, navibus, montibus, pagis &c. moriuntur ſine Sacramentis. Rurſum ex iis qui ea ſuſcipiunt, multi ea malè ſuſcipiunt, ac proinde peccata non expiant: multi enim laborant ignorantiâ craſsâ articulorum fidei, quos explicitè ſcire & credere tenentur, æquè ac Sacramentorum; ac præſertim ignorant efficax propoſitum abſtinendi à peccatis requiri, ut quis ſit capax abſolutionis, & neſciunt, quam fortis & conſtans reſolutio animi requiratur, ut propoſitum cenſeatur eſſe abſolutum & efficax. Alii, eſto, ſciant

necessaria salutis, tamen vivunt incurii suæ salutis, toti intenti colligendis divitiis & dignitatibus, fabricandis domibus, hortis, vineis &c. Ut raro vel numquam de Deo & vita æterna, deque conscientia sua cogitent, nisi in paschate, idque idcirco tantum, quia coguntur præcepto Ecclesiæ confiteri & communicare, peracto paschate illicò ad res terrenas redeunt, iisque se immergunt, imo obruunt. Alii irretiti sunt usuris, simoniis, bonis injustis, quæ restituere nolunt. Alii habent pellices, vel obscænis amoribus sunt implicit, ut iis se expedire nequeant, quia seriò se expedire nolunt. Alii fovent lites, rixas, & odia immortalia.

3 Denique multi, esto, sciant propositum efficax requiri ad absolutionem, tamen illud procurare & habere non satagunt; sed habere se simulant, imo sibi ipsis falsò persuadent. Est enim propositum hoc serium res ardua, sublimis, & difficilis: multi autem nolunt vim sibi adhibere, & ad rem tam arduam totis viribus conniti, præsertim in morbo & articulo mortis, cum ratio, judicium, sensus & vires hominis debilitantur & sopiuntur, unde ex habitu tot annorum in morte formant

mant tale, quale solent in paschate, scilicet superficiale, verbale & inefficax.

Hâc enim justâ animadversione punitur peccator, ut qui vivens oblitus est Dei, moriens obliviscatur sui, ait S. Gregorius, & S. Augustinus lib 3. de Lib. Arbit. illa est pœna peccati justissima, ut qui rectum facere, cum posset, nolit, amittat posse cum velit. Porrò multos carere hoc serio proposito colligitur ex variis indiciis.

Primum est quod hoc propositum obiter semel eliciant in paschate: ad hoc ut confiteantur; quia ad hoc à pastoribus coguntur: unde hoc propositum magis extortum est & coactum quam liberum & spontaneum, hinc mox à paschate & confessione ad suas cupiditates, vitia & scelera redeunt; uti multi redeunt ad eadem post confessionem in periculo mortis peractam, si periculum hoc evadant & revalescant: qui reditus signum est illud propositum fuisse coactum & metu mortis extortum, non sincerum & serium. *Primò*

Secundum, quia multi malos habent habitus inebriandi se, fornicandi &c. rixandi, pejerandi, maledicendi, quos deponere nolunt, aut si volunt, non adhibent remedia ad rem tam inolitam defricandam

dam necessaria. Porrò præ reliquis vitiis passim in hominibus dominatur luxuria & superbia, hæc duo potentissima sunt, implentque infernum.

Tertiò Tertium quia multi habent principia politica aut vitiosa proposito huic directè contraria, in quibus à puero enutriuntur, adolescunt & vivunt v. g. injuriam tibi & tuis factam talione esse vindicandam, inglorium, vilem & infamem esse qui id non faciat: duellum si offeratur esse acceptandum ne honor perdatur: in conviviis cuilibet ad æquales haustus propinanti, esse respondendum, ideoque inebriandum. Ante omnia consulendum esse statui, prolibus, familiæ: ut statum honoremque retineas vel augeas, omni modo enitendum, nec curandas leges Ecclesiæ vel Dei, si obsistant. Vitam & fortunas tuendas esse præ omnibus, etiam cum dispendio legis Dei: non esse tolerandas ignominias, calumnias, verbera, sed par pari referendum. Hæc autem dictamina & principia datâ occasione sæpius actu cogitant, destinant, confirmant, ac numquam deponunt, ne in confessione quidem, adeo ut si à confessario de iis præcisè rogentur, respondeant se in iis perstituros,

ros: Quia ubi agitur de honore, lucro aut commodo, non curant conſcientiam, nec Deum, nec infernum. Porrò hæc proposita habitualiter imò virtualiter ſemper in iis manentia ex diametro repugnant propoſito ſerio cavendi omnia peccata, denique legibus per omnia obediendi. Atque concionatores ſæpe hæc non docent, non explicant, non inculcant, ſed communem tramitem explicandi Euangelia ſequuntur, peccatoribus commendant Paſſionem Chriſti, miſericordiam Dei, largitionem eleëmoſynarum, & cultum B. Virginis, quod illa ſui cultores non ſinat perire, nec deſcendunt ad vitia huic illive loco propria ut contra ea tonent ac fulminent, eaque extirpent. Unde urbis & populi manent in iiſdem malis legibus, conſuetudinibus, propoſitis, vitiis, nec ullum vel exiguum ex concionibus omnibus fructum referunt. Mutent ergo modum concionandi, ſi Deo, conſcientiæ, Eccleſiæ, & auditoribus conſulere ſatagunt, ut conſcientias feriant, ex iiſq; omne malum ſemen, quod in tali loco graſſari ſciunt, ſtirpitus evellant.

Quartum. Eſto aliqui in morte conſitentes concipiant verum propoſitum, tamen Quartò.

men

men post confessionem, si pluribus diebus, ut fit, decumbant, recurrit memoria pristinarum cupiditatum, quæ animum iis se pascere solitum, ad consensum flectunt, ut in pravam cogitationem & delectationem morosam præteritæ & solitæ voluptatis illicitæ consentiat: præsertim quia dæmon tunc eandem menti objicere & refricare solet, gravissimèque hominem tentare in ultimo illo duello, adeoque in ipso agone quo anima è corpore migrat: permittit enim id dæmoni Deus justo judicio in pœnam scelerum & negligentiæ, qua sani & vegeti cupiditates illas mortificare non curarunt, sed eis indulserunt quasi equus & mulus: quare tunc multi succumbunt & pereunt, cujus rei plura funesta extant exempla. Verè enim dixit noster R. P. Fransc. villa nova, uti refert P. Sacchinus tom. 2 Hist. Societ. lib. 1. n. 131. Passio & vitium, quod in vita mortificare neglexisti, acriter tentabit te ingruente morte.

Quintum. Quintum. Virtus, salus & gloria cælestis est res, sublimis & ardua, superans omnes naturæ vires; ex altera parte hominis natura per peccatum corrupta, & planè ad res terrenas depressa est, tamque vivi

in

piditates. Opum, honorum, commoditatum, deliciarum, ut vix apprehendat aut capiat res cæleſtes, multò minus ad eas ſe erigat, & totis viribus connitendo aſſurgat. Eſto enim gratiâ Dei præveniatur, tamen illa perinde ſe habet in homine lapſo ac medicina in homine infirmo ac proſtrato; ut illum vix erigere queat; & ſi erigat, facile rurſum collabatur ac corruat. Quare in hac generali naturæ corruptione facile eſt cuilibet inter tot occaſiones & tentationes carnis, mundi & dæmonis, labi in aliquod peccatum mortale; ex eo autem reſurgere per pœnitentiam & propoſitum efficax, arduum eſt & perdifficile. Atque hæ ſunt duæ cauſæ & quaſi duo poli in quibus vertitur hujus quæſtionis cardo: puta damnandorum multitudo & ſalvandorum paucitas. Vera eſt enim gnome S. Juſtini apud Damaſcenum lib. 2. Paralip. cap. 87. *Animus ad ea bona, quibus excidit, ægre revocari poteſt, ac rurſus ab iis, quibus aſſuevit malis, non facile extrahi poteſt.*

Sane harum rationum momenta & experimenta coëgerunt viros ſapientes ac inter eos noſtrum Benedictum Juſtinianum mutare ſententiam, ut cum prius ſenſiſſet, plures è Chriſtianis ſalvari, hoc

loco sententiam revocet, censeatque plures damnari.. Romæ audivi plures idem sentientes; ac inter eos celebris nuper Doctor & concionator passim prædicabat confessiones eorum qui imminente morte confitentur, cum malè vixerint cæteris antea totâ vitâ factis, esse deteriores.

TESTIMONIUM,

R.P. FLORENTII HARLEMIENSIS Prioris Carthusianorum Lovanii in libro, qui inscribitur, via vitæ: sive Liber Spiritualis instruens, quomodò Christianus debeat incipere, & progredi in virtutibus. Cum Approbatione Doctorum Lovaniensium. Antwerpiæ 1542.

SIC LATINÆ SONAT.

Multa à Confessariis, Pœnitentibus & Concionatoribus disertè, & ad doctrinam S. Caroli *opportunè tradit.*

Parte 2, Cap. 21.



Ompetiuntur, qui confitentur in certum tempus ex consuetudine magis quam devotione, aut desiderio proposito re emendæ. Horum aliqui induerunt quemdam confitendi

tendi modum, quem semper observant, proloquentes identidem verba eadem, confitenturque, ut nonnulli orant legentes *Pater* & *Ave*, & nihil præterea. Hujusmodi (uti timendum est) rarò confitentur benè, at dicunt interdum plus minusve quam fecerint, quique semper eodem confitentur modo, facilè suspicandum de iis, quod numquam advertant ante, aut conscientiam discutiant; ast solum ex consuetudine confiteantur. Nonnulli etiam ex consuetudine confessionem instituunt absque verecundia aut dolore, atque denarrant peccata sua (ut Bernardus ait) velut communis sermo, aut aliud factum referri solet; & animæ suæ ægritudinem instar Historiæ memorant absque verecundia aut compunctione alicujus pœnitentiæ, & fermè absque contritione aut proposito emendæ, quapropter nullum conscientiæ solamen obtinent è confessionibus, &c.

Oportet illum, qui confessionem instituere cupit, atque imprimis, quem gravia crimina premunt, prudentem esse, ut quærat ejusmodi sacerdotem, qui sapiens sit, quique valeat te instruere, at-

que absolutionem impendere: sicut S. Augustinus, inquit, in lib. de Pœnit. qui confiteri cupit, quærat sacerdotem qui *benè* novit solvere & ligare, ne, qui te ad pœnitentiam excitat Deus, te quoque deserat, si non agat tecum, ut oportet, in confessione, & ne unâ cum confessario in foveam cadas, ut fieri solitum est, dum cœcus cœco ducatum præstat, dum confessarii peccatores non satis examinant, aut peccata, quę gravia tamen sunt, non satis ponderant, aut peccatores non instruunt, puniunt, vel etiam solantur pro peccatorum exigentia, aut satisfactionem, velut peccata postulant, non imponunt: unde peccatores minoris faciunt peccata, & facilius eadem rursum committunt, quia confessarius non magni facit. Quemadmodum vetus habet adagium: qui facile malefacta ignoscit, facile relabendi ansam præbet. Sic igitur qui animæ suæ salutem vel parvi æstimat, par est, ut quærat confessarium tantâ doctrinâ tantâque pietate, quanta reperiri potest, aut ad minus, qui sat capax sit, faciatque in hunc modum, quo morbo corporali laborans, potius consulit expertissimum medicum, quam imperitum.

•••••

..... Quò ſacerdos minorem habet de gravitate peccatorum notitiam, eò quoque difficilius conſulere aut juvare poteſt; ideoque imprimis conſulendum eſt, & omnino convenit ad perficiendum confeſſiones, ut quis confeſſario ſuo plenam exhibeat vitæ, ſtatus & perſonæ cognitionem. Si in peccatum mortale frequenter fuit relapſus, poſt ſuſceptam ab illo in confeſſione abſolutionem, planè expedit, ut ille dicat, fateaturque ſe illud peccatum amplius commiſiſſe, & ab eo fuiſſe abſolutum, neque tamen deſeruiſſe, aut ab eo reſipuiſſe. Timendum quippe eſt, ne in confeſſione præteritâ quid defecerit in ipſo, utpote non ſat diſpoſito ad Sacramenti effectum percipiendum.

..... Hoc jam incuriâ ſacerdotum .... eouſque elanguit, ut pœnitentiæ non ſolum nihili fiant, ſed quò placeant peccatoribus, eoſque exonerent, pro enormibus flagitiis ſubinde exiles injunguntur ſatisfactiones, quæ etiam minimis peccatis eluendis non ſufficerent, quod in purgatorio poſteà gravius luent. Comperiuntur hujuſmodi confeſſarii & concionatores, qui peccatores aliud docent nihil, quàm ut multum confidant divi- C. 24

næ benignitati & misericordiæ: quam lubenter Deus veniam rogantibus peccatoribus ignoscat: ast de justitia Dei, & ipso per magnam contritionem placando, satisfactionibusque pro peccato adimplendis, nihil aut parum loquuntur. Quo fit ut populus fallatur,& minoris faciat in peccata labi, audiens peccata tam facilè dimitti. Atque hujusmodi confessarii, nec non concionatores hodie conquiruntur, & à plurimis laudantur, vocanturque Patres & concionatores, qui consolantur homines: verum est, quod timeatur,ne simile consolatorum genus potius deteriores peccatores reddat quam correctiores: sicut medicus aut chyrurgus, qui ægrum aut sauciatum semper blandè tractat. de hujusmodi apud Ezechielem terribilis est sermo Dei inquientis, quod illi populum decipiant dicentes pax, pax, dum non est pax: & tales presbyteros assimulat iis, qui parietem liniunt luto aut argilla absque temperatura paleæ, quæ litura non subsistet adversus imbrem. Neque absimilis est prædicatio eorum; qui è suggestu de benignitate Dei atque illius misericordia semper dicunt, & justitiæ non meminerunt:
qui

qui multa de spe & amore verba faciunt; nulla verò aut paucissima de timore, & angustiâ portæ, quæ ducit ad cœlum: de quibus iterum Dominus apud dictum Prophetam: væ! qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Inter quos intellige ejusmodi magistros & confessarios, qui quemlibet solantur, non puniunt, misericordiam Dei extollunt, justitiam subticent &c.

TESTIMONIUM,

R. P. EMRICI DE BONIS, è Societate JESU in Tract. de SS. Sacramento Altaris, edito Romæ A.o 1595. cum Superiorum permissu & Approbatione.

Optime & per multorum experientiam ostendit uberrimos fructus tam Sanctæ praxis *differendi absolutionem.*

Ex Cap. decimo nono.



Utilissimum contra recidivas, & multis experimentis confirmatum remedium est, suspendere & differre absolutionem peccatoribus, ut parum pœnitentiæ ad

minus

minus faciant; antequam accedant ad Sacram Communionem. Quia aliquis confitebitur infinita flagitia, & peccata horrenda, qui in eo statu volet postridie, aut postea communicare: quod nequaquam permittendum est; quia homo consuetudini & peccandi habitudini profundè immersus, non potest resipiscere absque magna violentia, neque potest sine magnis conatibus ad veram compunctionem, displicentiam, & sincerum de peccatis, quæ admisit, dolorem se disponere. Quemadmodum arbor ingens non exciditur, aut dejicitur unico ictu; neque vas liquore fœtulento imbutum, unicâ aquæ abluntiunculâ ingratum odorem deperdit; sed opus est ut diu in cineribus, & acri lixivio ebulliat: eundem in modum cum hujus formæ hominibus agendum est. Ducendi sunt per varia pœnitentiæ exercitia, quibus pertingant ad notitiam, dolorem & veram peccatorum suorum detestationem; & quia hæc praxis in illis non servatur, illicò ad vomitum suum revertuntur. Complures Confessarii Religiosi & prudentes testantur, quod peccatores innumeri verè conversi sint, & infelicem quam habebant peccandi consuetudinem

dese-

deſerentes, magno cum ſolatio, & non mediocri in ſpiritualibus progreſſu, caſtitati ſeſe dederint, quia uſurpata fuerat circa ipſos tam ſancta praxis, differendo illis abſolutionem, adſtringendo illos ut redirent frequenter ad confeſſarios, ad reddendam illis rationem vitæ ſuæ, & injungendo ipſis intereà faciendam aliquam pœnitentiam. Verum quidem eſt, quod ſub initium, moleſtiam ipſis peperit & faſtidium, dum viderent ſe tam frequenter ſine abſolutione dimitti, & obligari ad graves & aſperas pœnitentias; experti verò poſteà fructum, & magnam hujus praxeos utilitatem, ingenti cum ſatisfactione & gaudio ad confeſſarios ſuos reverſi ſunt; & maximoperè ſeſe obligatos arbitrantes, de eo modo, quo uſi fuerant, gratias illis egerunt; candidè fatentes, quod vitam mutaturi numquam fuiſſent, niſi hoc modò ſecum fuiſſet actum. Nullum eſt dubium quin æger dum chyrurgus premit ulcus, magnoperè doleat; ſed gratias illi agit, rependitque liberaliter, ubi ſe ſanitati reſtitutum deprehendit.

TESTIMONIUM,

R. P. JOANNIS BOSCO, Ord. FF. Minorum Lectoris Jubilati in Theologia Sacramentali. Parte 3.

Qui testatur, quod pœnitentibus, etiam verè conversis, liceat quandoque absolutionem differre.

Disput. 7. de Sacrament. Pœnitentiæ sect. 4. de dolore Sacramentali conclus. 11.

num. 296. Ota difficultas est, an quando Confessarius omnibus consideratis judicat pœnitentem esse debitè dispositum, adhuc possit aliquando negare absolutionem, seu potius differre in aliud tempus. Communis sententia affirmat.....

Et quidem ex consensu pœnitentis posse differri, à nemine dubitatur. Æquè certum est, non posse differri, quando ex dilatione timetur majus damnum spirituale, quam bonum, ut puta, quia concipiet aversionem à confessione, non amplius rediturus. Oportet ergo ut adsit justa

&

& rationabilis causa, ut possit sine consensu pœnitentis differri, & quia illa non semper adest, & fieri potest, ut aliquando adsit, ideo dixi in conclusione, *non semper debet absolvi*, id est aliquando potest absolutio differri, scilicet ex justa & rationabili causa.

Probatur: quia, licet pœnitens legi- 297
timè dispositus habeat jus ad absolutionem, non tamen ad hoc, ut statim proferatur; potest quippe judex arbitrari, quando & quomodo utilius debeat proferri sententia ...... quandò meritò timet pœnitentem nunc absolutum facile relapsurum, nisi territus dilatione absolutionis, gravitatem peccati & necessitatem emendationis agnoscat, poterit sacerdos differre absolutionem ad majorem pœnitentis utilitatem. Ego, inquit, Arriaga, supra n. 39. dicere possum, me multoties cum aliquibus juvenibus hoc remedio usum, & feliciter illud mihi successisse.

Confirmatur: quia ex communi do- 298
ctrinâ potest confessarius obligare pœnitentem ad satisfactionem ante absolutionem, non quidem per modum vindictæ, sed medicinæ, quando id judicat necessarium vel utile v. g. quia alias sæpe satisfa-

ctionem omisit, ... Imò, inquit Lugo, disp. 14 num. 170. apud Græcos sic solitum fieri, ut nemo ante expletam pœnitentiam absolveretur, dicit Palatius in 4. dist. 15. q. 1. ex Nicephoro lib. 11. cap. 26. quod cum publicis peccatoribus olim servatum fuisse, colligitur ex Catechismo Pii V. de Sacram. pœnit. n. 68. hæc ille.

Verum Catechismus Pii V. quo ego utor, non habet, nisi numeros seu quæstiones 63. & in his nihil reperio ad hoc propositum ......

Ut ut sit, ab hoc... non pendet veritas nostræ conclusionis; cujus ratio à priori est; quia sacerdos non solum est judex, sed etiam medicus, sicut ergo in satisfactione imponenda, præ oculis habere debet ut non sit tantum ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, sed etiam ad vitæ novæ custodiam & infirmitatis medicamentum, ita quoque in danda absolutione; neque in isto officio impediri potest à pœnitente,

TE-

TESTIMONIUM,

R. P. JULII CÆSARIS,

Recupiti Neopolitani è Soc. *Jesu.*

EX QUO

Colligitur, quod Recidivatio sit signum fictæ Pœnitentiæ.

TRACTATU SECUNDO.

De Numero Prædest. & Reprob. Capite Sextò.



Mnis pœnitentia ficta reprobationis est signum: sed recidivatio reducitur ad pœnitentiam fictam, ergo recidivatio reprobationis est signum: & sic recidivi recensendi sunt inter reprobos. Major patet ex allatis tractatu præcedenti cap. 5. minor probatur ex Patribus. Ambros. in 2. ad Corinth. cap. 2. pœnitentia vera est cessare à peccato: sic enim probat dolere se, si de cætero desinet: ergo à contrario pœnitentiæ falsæ signum est, & ficti doloris, si de cætero non desinat. Augustinus Serm. 1. de pœnitentia & jejunio: irrisor, inquit, est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnituit, & peccata non

 minuit,

minuit, ſed multiplicat. Hoc autem de iis etiam, qui pœnitentiam agunt cum lachrymis, ſed iterando peccata, pronuntiat Fulgentius lib. 1. de remiſſione peccat. Cap 12. ubi nonnulli, inquit, ſcelerum ſuorum conſideratione perterriti pro iniquitatibus ſuis in oratione gemunt, nec tamen &c.... Ex hoc argue, quid dicendum de iis, qui ſunt ſine lachrymis recidivi. ....

Tr. 1. c. 6. de ſignis præd. & rep. prob. Sicut magnum eſt prædeſtinationis ſignum confeſſarios eligere probos & doctos: ita par eſt reprobationis ſignum, nullam aut paucam adhibere in hoc diligentiam ſicut, quod multò eſt pejus, ſtudiosè deligere, qui laxiores habentur, neque aut valde idonei, aut valde pii. Signum eſt enim animi non curantis verum pœnitentiæ effectum, ad quem non minus conducit bonus confeſſarius, quam ad valetudinem recuperandam bonus medicus. Sicut igitur fictè valetudinem optat, qui æquali pecuniâ medicum non deligit meliorem, ita &c.

TE-

TESTIMONIUM,

R.P. FRANCISCI à PUERO JESU, Ordinis D. Virginis à Monte Carmeli in inſtructione neceſſaria ad Sacramentum Pœnitentiæ bene & ſalutariter ſuſcipiendum Flandrice editâ Gandavi 1667. cum Approbatione &c. excerpta Latino Sermone ſic donantur.

In Caſibus hîc expreſſis optimè convenit cum Sancto Carolo Borromæo.

Xprimi non poſſunt abuſus, cæcitates & Sacrilegia quæ hac tempeſtate in Sacramento Pœnitentiæ committuntur: eò ventum eſt, ut plurimi comperiantur, qui ſatis eſſe arbitrantur, peccata ſua confiteri, non emendando vitam ſuam, neque peccata verè & ſeriò deſerendo, aut pœnitentiam agendo, fallentes ſe ipſos, credenteſque quod per ejuſmodi confeſſiones à Deo peccatorum ſuorum remiſſionem conſequantur. Diſcurrunt à Confeſſario ad confeſſarium, quærentes alicubi quempiam

piam

piam, qui ne verbum quidem profert, quique exiguam imponit pœnitentiam: si usquam incidant in confessarium, qui ipsis veritatem edicit, rectamque & medicinalem injungit pœnitentiam, illum non amplius accedent. Sed animum hîc advertite: è quo spiritu & fundo id proficiscitur? quæ est ratio? alia præter hanc nulla: quia latente quodam affectu adhuc affixi manent peccatis suis: quia conversio non provenit è cordis medullo, quia illos non verè pœnitet, nondum habent firmum absolutumque propositum & decretum vitam reverâ emendandi, & deserendi peccata. Si enim rem ipsam putarent, quærerent sibi peritum confessarium, qui veritatem eloqueretur, suamque ægritudinem opportuno medicamine curaret.

Cap. Adjicienda est hîc alia observatio ad
34. quosdam peccatores, qui adeò excæca-
pag. ti sunt, tamque affixi peccatis, ut si quan-
322. do confessarius absolutionem ipsis meritò neget, judicans rectè illos non esse idoneos, neque ritè dispositos, illi alium accedunt, cui peccata sua non ita enarrantes, vel illo rem non ita, ut se habet, comprehendente (quia ingenio pinguiori

ti est, non æquè ac alii negotium perci-pit) absolutionem captitant atque ita qui-escunt. Magnus hic dolus est, ejusmodi quippe absolutio nullius est valoris, & qui agit in hunc modum sacrilegium committit: coram Deo quippe nequaquam absolutus est: hujus namque antea commonefactus fuit. Siquidem dicente Sancto Thoma confessarius neminem valet absolvere pro libitu suo, quia solummodo est instrumentum & minister Dei, propterea secundum voluntatem Dei operari debet; idcirco si hoc non faciat, sed terminos potestatis sibi à Deo datæ egrediatur, invalidum est: & quamvis dicat, absolvo te, Deus ratum non habet. Non est igitur, quod sibi quispiam dolum faciat, qui non habet dispositiones ad hoc sacramentum requisitas, à nullo, ne pontifice quidem Romano, absolvi potest: & licet alteri sæpius confiteretur & absolutione donaretur, nihil quidquam valet. Sit igitur unusquisque circumspectus.

...... Pœnitentes in peccatum mortale prolapsi debent tempus vacuum & opportunum otium sibi comparare, illudque impendere, ut se ad confessionem ritè præparent, ut verum dolorem in se eliciant & seriò accingant se orationi; alioquin numquam obtinebunt necessariam Cap. 32. pag. 288.

ad confitendum dispositionem.

Cap. 34. pag. 319. Duo sunt necessaria confessario, oratio videlicet & studium, at inprimis oratio atque in sacrificio missæ præsertim, ut magna cum reverentia, attentione & pietate quotidie sacrificium offerat precesque fundat pro pœnitentibus; hoc enim ex fonte haurire debet scientiam necessariam, secundum quam ingenium studiumque dirigenda sunt, secundum doctrinam scilicet euangelii & lumen fidei & non secundum doctrinam Casuistarum quæ (sicut ait congregatio generalis cleri gallicani) corrupta est & perniciosa.

Absque præfata scientia & oratione caligabit confessarius in spiritualibus & internos dijudicandis, humana solum erit ipsi scientia, atque ingenium quod perquam caliginosum est & hallucinans, merè audiet confessionem, & ne verbum quidem in confessione proloquetur aut interrogabit, satis esse, inquiens, & conscientiæ officiique partes adimpleri modo audiat et juducet peccatoris accusationem atque absolutionem impendat, neque obstrictum se esse aliud quidpiam aut petere aut præstare: hoc adversatur doctrinæ S. Caroli Borr. nequaquam sanè satisfacit muneri suo; tenetur enim (velut jam dictum supra) judicare quod peccator ille

ritè

ritè diſpoſitus ſit & dignus, qui abſolutionem percipiat, quod ſcire nequit, niſi petat aliquid aut examinet. Verum excuſationis loco prætexit: ad peccatores ſpectat ſe ipſos examinare & de illis ſeſe accuſare peccatis, de quibus à conſcientia ſua arguuntur, & ſentiunt remorſum. Ad hæc reſpondetur, cæcos eſſe peccatores & non raròita inebriatos atque excæcatos, ut peccata, quæ communia ſunt, non reputent peccata, nec cordi habeant, quanquam ſint etiam mortalia; eapropter & ſe & peccatores periculo committendi Sacrilegium exponunt.

Non ſolum committit ejuſmodi confeſſarius, qui peccatori imparato abſolutionem impendit, Sacrilegium, abutens ac prodigens merita Sacratiſ. cruoris J. C. aſt præterea in dolum adducit animas inſciorum hominum, qui proh dolor! ſatis eſſe autumant peccata confiteri & percipere abſolutionem. *Eod. c. pag. 314.*

Verum, inquies, meliora ſperant & perſuaſum ſaltem habent illos jam ritè diſpoſitos eſſe: Reſpondetur quod confeſſarium oporteat eſſe virum ſapientem, prudentem & peritum, quodque peccator, dum in malo radices egit, frequenter in peccata relabitur, occaſiones nec deſerit nec vitat & non confeſſarii conſilio non obſequitur,

 non

non habeat itidem verum dolorem, ac proinde neque propositum à peccatis se abstinendi. Et licet (ut supra) fieri possit, ut peccator post seriam pœnitentiam queat relabi, dum æquidem recidit, præsumptio est contra ipsum: esto etiam, non careat confessarius ratione secus sperandi, attamen in dubio minimè licet S. Sacramentum periculo nullitatis & profanationis exponere.

pag. 318 Multò magis indigent confessarii scientiâ supernaturali & infusâ, ut dignoscant & penetrent internam pœnitentium dispositionem, num vere conversi sint & à Deo moti, num abdito & latente peccato mortali laborent, num verum habeant propositum firmamq; voluntatem vitam corrigendi & peccatorum occasiones evitandi, & quos deprehenderint in hunc modum non esse dispositos, absolutionem differant & negent, ipsosque commonefaciant in quam periculoso statu versentur. In hoc omnis difficultas posita est, estque res ita tanti momenti (teste S. Carolo Borromæo) ut à ritè administrando Sacramento Pœnitentiæ, dependeat extirpatio inordinationum omnium & abusuum, scelerum emenda, Sanctæ Ecclesiæ bonum, omnium denique animarum salus. Atque à defectu illius originem ducunt omnia

peccata & propterea omnium peccatorum, inordinationum, atque abusuum quæ in Christianismo perpetrantur, partim non mediocrem causam ponunt confessarii, quod suo non, ut oportet, officio perfungantur.

Quod lachrymis sanguinolentis est deplorandum, huc jam deventum est, ut videatur res eò spectare, ac si proscribere vellent omnia satisfactionum genera, quæ tam ad punienda crimina, quam ad medendum animæ conducunt: videntur velle ex Sacramento Pœnitentiæ facere dumtaxat Sacramentum confessionis; unusquisque enim confiteri quidem desiderat, sed pars maxima renuit veram agere pœnitentiam, & peccata sua piis satisfactionum operibus delere, quod arguit illorum conversionem doloremque non esse sincera: etenim si interna illorum pœnitentia foret vera, quod ad bonam confessionem omnino requiritur, fieri non posset, quin interna pœnitentia externè produceret opera, quemadmodum fieri nequit, ut arboris radix vivida sit, & tempore suo nec fructus nec folia proferat. *Cap. 35. pag. 329*

Hinc colligendum, quod languor quem hodie videre est in maximo parte Christianorum, ne verbum quidem correptionis sustinent, neque idonei sunt ad ullam

aſperitatem voluntariamve pœnitentiam pro enormibus ſuis flagitiis ſubeundam, nõ derivetur è naturali corporis ægritudine, aſt è deficienti Spiritu pœnitentiæ: quia deinde peccatum & amor proprius in ipſis etiamnum regnant dominanturque, & quia affectu ſuis adhuc peccatis latenter alligantur & adhæreſcunt: eapropter ſemper recidunt, atque eadem abſque ſincera illorum renuntiatione & emenda confitentur peccata, atque ita in ſuis peccatis numquam non perdurant, contrahenteſque tandem veternoſam mali conſuetudinem, ſanari nequeunt.

Iſthinc confeſſarii conſiderantes hunc languorem quorũdam peccatorum, quod ferre nequeant aliquam invectivam aut correptionem aut ſalutarem ſuſcipere pœnitentiam, veriti ne illam non explerent, blandulè illos habent, injunguntque exilem pœnitentiam, rati melius eſſe illos exigua cum pœnitentia ad purgatorium mittere, quam cum magna (quam adimpleturi non eſſent) ad infernum; atque eo pacto videmus quod hujuſmodi peccatores hæreſcant in ſua peccandi libertate, diſſolutam viventes vitam, obdureſcunt itaque & impudentes evadunt pejus quam gentiles. Eſt quod hujuſmodi confeſſarii ſibi caveant ne alienorum (quod

monet

monet Tridentinum) peccatorum participes ſe reddant.

Quam frequentes numerare eſt confeſſarios, quorum hæc eſt in extremis vitæ querela, dum conſcientia illorum remorſu, & angore torquetur, dum ſupremo illi judici rationem omnium, quas audierunt confeſſiones, jam jam reddere oportet,& pertimeſcunt ſe forſan damnatum iri ob peccata aliena, quorum coram Deo judice fortè ſunt participes. Siquidem confeſſiones excipere, & vices Dei agere in dijudicando inſcrutabiles hominum conſcientias, unde illorum ſalus dependet, res eſt formidine & periculo plena. Hoc eſt quod non paucos bonæ eruditionis & conſcientiæ viros deterret & avertit ab excipiendo confeſſiones, ob magnum ſcilicet,quod in eo ſitum eſt periculum. Eapropter quod pars maxima eorum qui ad confeſſionem veniunt, non ritè ſunt diſpoſiti, neque veram habentes contritionem, aut non firmiter decernentes emendationem, idcirco timent, ne abſolutionem impertiantur iis, qui non ſunt, ut oportet,diſpoſiti.

TE-

TESTIMONIUM,

Eminentiss: Cardinalis BELLARMINI, è Societate *Jesu.*

de Bap. cap. 18. *Qui (PP.) semper peccantibus post Baptismum, Gravissimos labores Imposuerunt, antequam eos reconciliarent.*

ALIUD,

Ejusdem ex opusculo ad Episc. Theamensem.



SI quis velit in tuto salutem collocare & simul oporteat eum Episcopali officio fungi, is omninò debet de octo controversiis certam veritatem inquirere, & non respicere, quid multi hoc tempore dicant & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi; & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propositâ, ad minus tutam partem declinare; agitur enim de summa rei, cum de salute æternâ tractatur; & facillimum est conscientiam erroneam aliorum exemplo induere, & eo modo conscientiâ non remordente ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur & ignis non extinguitur.

Summa Privilegii.

CAROLUS II. *Dei gratiâ Hispaniarum Rex &c. Diplomate suo sanxit, ne quis, præter* Gisberti Lintsii, *Typograph. Mechliniensis voluntatem, Librum cui Titulus*, Testimonia *&c. imprimat aut divendat, ut latius patet in Litteris datis Bruxellæ &c. 1675.*

Signat LOYENS.

